



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio LXVII. Christus in cruce liberalissimus docet nos, quomodo debeamus subvenire pauperibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



## CONSIDERATIO LXVII.

Christus in cruce liberalissimus docet nos, quomodo debeamus subvenire pauperibus.

*Abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam, Matth. 13. 46.*

I.

**N**egotiator ille Evangelicus pro una pretiosa comparanda margarita dedit omnia quæ habuit, & emit eam: Negotiator ille Christus est, margarita anima cujusque hominis, pro hac enim in passione & cruce dedit omnia quæ habuit, non primam, sed ultimam sanguinis guttam, ut tam immenso divini sanguinis sui pretio eam sibi compararet.

Hoc prævidit Sponsa illa dilecta, dum de hoc suo Sanguinum Sponso dixit: *Manus illius tornatiles, aurea, plena hyacinthis*, Subintrat hic Philo Carpath. *Tunc tornatiles facta sunt Christi manus, quando is illas extendit in cruce, quando ea clavis perforata sunt.* Hic dedit omnia quæ habuit: Patri commendavit animam, Matri corpus, Joanni Matrem, militibus vestes, latroni regnum, Veronicæ sudarium, clavos Nicodemo, linteam & femoralia Josepho Arimathæo, sanguinem peccatoribus, crucem Ecclesiæ in millenas partes & segmenta pro solatio fidelium dividendam. O amor immensus! Quis unquam audivit tale, aut huc vidit simile? O abyssus infinitæ charitatis!

Num. 20. 11.  
Psal. 77. 20.

Beda in Exod.  
17.

Num. 13. 24

S. Greg. Nyss.  
I. de vita  
Moyfis.

2. Petra à Moyse in deserto percussa non sibi sed aliis abundantes dedit aquas: *Percussit petram, & fluxerunt aquæ.* Christus, petra, in cruce percussus ferreis clavis & crudeli lanceâ, omnibus sitientibus, prout ait Venerabilis Beda, gratiarum lavacrum effudit.

Botrus ille grandis ex ligno pendens non sibi sed aliis dulce phalerum subministravit: Christus crucifixus omnem suum sanguinem; unde rectè S. Gregorius Nyssenus: *Cujus sanguis, inquit, potus factus est credentibus salutaris.*

Vates

Vates Regius, qui non obscure omnem Christi passionem prævidit, de Christo crucifixo vaticinatus est: *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* Pfal. 103. 29. S. Chryf. hic Supra quod S. Chrystomus. Per manuum apertionem Christi in cruce extensionem intelligere convenit, per quam omnia impleta sunt bonitate, hoc est, humanitate ac misericordia, siquidem omne peccati genus crucis beneficiò condonatum est.

3. Sed cur talis ac tanta liberalitas crucifixi Jesu? Nimirum voluit & nos animare, ac præire exemplo, quomodo pro omni possibili modo desolatis ac pauperibus debeamus succurrere; unde dixit, & dicet adhuc aliquando in extremo iudicio coram universo orbe: *Amen dico vobis quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis;* unde ad S. Martinum dixit: *Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit.* Matth. 25. 4.

Erat quondam Christo Domino in Synagoga die Sabbati præsentatus homo, manum habens aridam, ad quem pientissimus Salvator: *Extende manum tuam;* extendit illam, & sine mora restituta est sanitati, sicut altera. Matth. 12, 13 Supra quod pereleganter Venerabilis Beda: *Adam, inquit, carpens pomum vetitum, manum humani generis arefecit; id est, potentiam, operatione nque hominis fecunditate boni operis privavit. At Christus eam restituit, extendens manus suas in cruce.* Adam per extensionem manuum suarum humanum genus perdidit, Christus in cruce salvavit, ut unde mors, inde vita resurgeret. Subintrat hic S. Bonaventura, quòd per illum hominem manum aridam & contractam habentem rectè præfigeretur ille, qui manum suam pauperibus extendere recusat; hinc in sacro Evangelio illud recensetur miraculum, ut & nos manus nostras ob amorem Christi crucifixi ad pauperem extendamus juxta illud: *Manum suam aperuit inopi, & palmas suos extendit ad pauperem.* Prov. 31. 20.

4. Nota est illa Evangelica parabola, seu potius vera historia de viatore Jeruchuntino, qui descendens ab Hierusalem in Jericho incidit in latrones, qui despoliaverunt eum pecuniis, vestibus & rebus, quas habebat, omnibus, plagisque impositis abierunt semivivo relicto. Quæres hic, quinam fuerint illi truculenti latrones, qui infelicem illum hominem tam crudelem tractarunt in modum? Luc. 10. 30.

3. Hugo Cardinalis, in sensu mystico hunc exponens scripturæ locum: *Incidit in latrones, divites scilicet, quia divites pauperes spoliant, & opprimunt.* Hugo Card. in Luc. 10. Unde Ecclesiastici c. 13. dicitur: *Venatio leonis onager in eremo, sic pascua divitum.* Pfal. 87. 16. O bone Jesu! Tu per omnem vitam pauper fuisti: *per sum ego, & in laboribus à juventute mea;* incidisti tamen in latrones, hoc est divites, qui despoliaverunt te, & crucifixerunt te, de quibus Vates Jessæus: *Circumdederunt me vituli multi; tauri pingues obsederunt me.* Pfal. 21. 12. Sic etiamnum fit tuis pauperibus.

2. Reg. 14.  
26.

5. Absolonis capilli, antequam in quercu suspenderetur, semel per anni cursum tondebantur, & ad pondus publicum vendebantur: *Ponderabat capillos capitis sui ducentis siliis, pondere publico.* Fuit autem hæc coma Absolonis flava, densa ac rutilans, & ideo ab illustrioribus fœminis ad capillaturam sibi ex ea faciendam certatim expetita, & coëmpta.

Hugo Card.  
in Luc. 7.

Hugo Cardinalis per prædictos capillos superflua divitum bonæ intelligit: Ad pondus publicum, inquit, semel in anno capillos suos vendunt, qui frumentum, vinum & alia bona sua servant, ut carius vendant, nec pauperibus erogant, sicut usurarii. Tales procul dubio capillis propriis suspenduntur ad patibulum infernale. Hæc Hugo Cardinalis: *Quidam divites, ait S. Bonaventura, plus dant canibus, quam pauperibus.* Mitto cætera, ne sim lapis offensionis.

S. Bonavent.  
serm. 5. dom.  
2. Quadrag.

Luc. 19. 2.

6. Zachæus homo pusillus; sed dives quærebat videre Jesum, ut de facie illum cognosceret, de cujus virtutum & prodigiorum fama tam multa audierat; in quem finem ascendit in arborem Sycomorum (cruis typum) ut videret Jesum, quia inde inter copiosam hominum turbam erat pertransiturus. Et quid accidit? Suspiciens Jesus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, & excepit illum gaudens, eumque lauto excepit convivio; imò etiam in domo ista hospitari dignatus est, ut hunc Publicanorum principem cum universa domo sua ad meliorem frugem reduceret. Quæres hic Lector prudens! quales cibos Zachæus in illo convivio Christo ac discipulis ejus apposuerit, in quibus aded jucundatus est Dominus? Fortasse sicuti Apostoli ei de itinere fatigato ad fontem Sichar, ubi Photinam mulierem Samaritanam converterat, apponebant: *Rogabant eum discipuli: Rabbi manduca, ad quos benignus Dominus: Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus?* Similem, inquam, cibum apposuit ei Zachæus nunc conversus, de quo de Castillo ait, quod in illo convivio optimus ac sapidissimus Christo cibus fuerit, dum Zachæus ad eum dixit: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus: Ha gratissima epula Christi erant.*

Jo. 4. 31.

Didacus de  
Castillo Mar.  
172.


Collige ex hoc pro reflexione morali; si vis in carne pascere Christum, non est tibi ablata occasio, pascere pauperem; si illius in cruce levare sitim, da potum pauperibus; si vestire Christum in cruce nudum, da pannum pauperibus, & sic de cæteris, quod enim fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

Math. 25. 4.

Prov. 21. 13.

7. Rectè Sapiens: *Qui obturat aurem suam, ne audiat pauperem, & ipse clamabit, & non exaudietur.* Exemplum memorabile hac de re recenset Duege-

Duegenius Hispanus in Speculo tristium cap. 1. de viro divite, cæte-  
 roquin bono & modesto, sed pauperum osore, quorum rogantium  
 clamorem ne deberet audire, in remotiore ædium suarum conclavi  
 solebat habitare. Illuxit tandem suprema dies, & cadaver amplo fu-  
 nere in templum infertur. Interim ad Sacrum se parat Sacerdos, &  
 dum illud solenne decantat: *Dominus vobiscum*, toties imago Crucifixi  
 Domini in ara exposita luculentò prodigiò visa est manus suas clavis  
 eximere, & utramque obturare aurem, velut indignaretur preces pro  
 defuncto oblatas excipere. Cùm verò Psalmus de profundis recitare-  
 tur, ad illa Sacerdotis verba: *Fiant aures tua intendentes*, formidabilis  
 vox ab eodem crucifixo emanavit: *Non exaudivit, non exaudiam*. Ecce  
 quam verum sit illud Jacobi: *Judicium sine misericordia illi, qui non fecit* Jacob. 2. 13.  
*misericordiam*. Audite hoc divites omnes, avari & rerum tenaces, qui  
 ob amorem crucifixi JESU nullam pauperum curam habetis; audite,  
 inquam, Judicem vestrum tonantem: *Propter miseriam inopum & gemi-* Psal. 11. 6.  
*tum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus*. Econtra Beatus, qui intelligit su- Psal. 40. 2.  
*per egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus*. Proinde I.ue. 16. 9.  
*fasite vobis amicos.*



CONSIDERATIO LXVIII.

Milites inter se vestimenta Christi par-  
 tiuntur, & de iisdem sortes mittunt. Argumen-  
 tum pro lusoribus.

*Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cujus sit.*  
 Jo. 19. 24.

I.

**S**Ara matrona pientissima non poterat tolerare, quòd Ismaël filius  
 Agar Ægyptiæ cum Isâac filio suo luderet, unde instanter petiit,  
 ut Abraham ancillam hanc, & filium ejus è domo expelleret:  
*Estce ancillam hanc & filium ejus.* Quod & ipse DEUS per expressum Gen. 21. 9.  
 mandatum ratificavit: *Durè accepit hoc Abraham pro filio suo, cui*  
*dixit Deus: Non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua, omnia*  
*Gintber Unus pro omnibus.* Kk qua